

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber III*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber III*

1456-04-22

In Dict. prooem.

[1] Negat Iohannes Hisseritanus philosophum esse Alfonsum, quia rex est. Ego idcirco philosophum esse affirmo, quia regno potitur. [2] Nam philosophi, meo iudicio, non qui facienda dicunt, sed qui dicenda faciunt habendi sunt, qui, cum peccare possint, non peccant, et, quemadmodum de Alfonso refert, in omnium rerum licentia sibi ipsis frenum iniiciunt: abstinentiam in vita privata ipsa necessitas parit.

In Dict. 1

[1] Iuliano cardinali Sancti Angeli, qui Basiliensi concilio praefuit, libros veterum lectitanti, cum diceret Oddo de Varis: «Quid tu hic inter mortuos latitas? Ad nos tandem, qui vivimus, exi!», «Immo – inquit – hi fama vivunt. Tu neque nomine, neque re vivis, sed ritu pecudum agis vitam!».

In Dict. 2

[1] Cum vocaret in curiam senatores Fridericus imperator: «Utinam – inquit – duas res consilarii mei in palatii vestibulo deponerent! Sic enim et ipsi recte consulerent, ac mihi inter consilia diiudicare esset facillimum». Interrogatus quatenus res illae essent: «Simulatio et dissimulatio», respondit.

In Dict. 3

[1] Exigenti promissa veterano militi cum diceret Sigismundus imperator: «At immoderata fuit petitio tua», respondit miles: «Poteras honeste negare cum peterem: nunc, sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris». Tum Sigismundus: «Si ex

duobus alterum ferre me oportet, levius famae quam rerum iacturam subibo».

In Dict. 4

[1] Ladislaus, Hungariae ac Bohemiae rex, quamvis adhuc puer, cum esset Romae non videri sibi ait homines, qui litteras ignorarent.

In Dict. 5

[1] Barbarae, quae Sigismundi caesaris uxor fuit, ac eo fatis functo vidua superstitit, cum sibi diceret aliquis imitandum turturis exemplum, quae, mortuo mare, perpetuam castitatem servaret: «Si me – inquit – ratione carentes imitari volucres iubes, cur non columbas potius passerisque proponis?»

In Dict. 6

[1] Gregorius Amburgensis, scientia iuris ac facundia inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ex curia caesaris, in qua diu fuerat obversatus, revertisset, atque non longe ab oppido Nuringensi amicum offendisset, qui uxorem suam vivere et bene valere diceret: «Si vivit uxor – inquit – ego obii».

In Dict. 7

[1] Ottokarus rex Bohemiae, cum de pudicitia coniugis sinistri ad se rumores delati essent: «Lex – inquit – naturae est: cornua qui faciunt, ne cornua ferre recusent».

In Dict. 8

[1] Iohannes Varadiensis, episcopus regnique Hungariae cancellarius, tam morum elegantia quam litterarum scientia regnicolarum nulli secundus, cum praefecturas

urbium et provinciarum ad novos atque incognitos deferri homines animadverteret: «Post annum – inquit – videbimus, bona ne fuerit regis electio, quod si mihi fides fuerit, probatos ad haec munera, quam probandos potius assumam».

In Dict. 9

[1] Ulrico de Rosis, inter Bohemos proceres opibus et auctoritate pollenti, cum Sigismundo absenti mortem fratris et rebellionem Pragensium significasset, fratrem suum respondit Sigismundus naturae tributum solvisse, Pragenses vero sibi tanto gloriosus soluturos, quam fortius vincerentur.

In Dict. 10

[1] Parasitus Alberti marchionis, Chilianus nomine, dicenti sibi cuipiam: «Cur te stultum assimulas cum recte sapias?», «Heu quam inique fortuna – inquit – mecum agit! Quanto magis studeo me delirum ostendere, tanto prudentior existimor. Contra, filium meum, qui videri sapiens nititur, stultissimum omnes iudicant».

In Dict. 11

[1] Legerat Philelphus, ut opinor, cum *Satyras* Alfonso mitteret, quod scribunt veteres de Theodosio iuniore, qui Oppianum poetam, de natura piscium disserentem, per singulos versus aureo nummo donavit: unde sunt illius postmodum aurea carmina nuncupata.

In Dict. 12

[1] In terram Austriam cum remearet ex Italia Fridericus imperator, renuntiatum est Australes in armis esse et, assumptis secum aliquot Bohemorum militibus, Novam

Civitatem obsidere instituisse, proinde caveret ne montes Stiriae transmitteret, similiterque amici omnes uno ore consuluere: nam fugae, cum in Austriam venisset, nulla ei facultas daretur. [2] Ad ea Fridericus: «Nec mihi verisimile sit Australes – ait – eo perfidiae prolabi, ut me dominum suum cum exercitu petant, neque ego is sum, qui fugere ante ora eorum, quam capi vel occidi malim. Exinde quid illi petunt, nisi Ladislaum pignus hoc est, quo reddito liberi sumus, tenerum adhuc puellum, inviti ex tutela nostra remittimus? At si pergunt petere, in medium Australium, Bohemorum et Hungarorum id pomum dabimus, de quo tris deas inter se contendisse fabulae Iunonem, Venerem ac Minervam tradunt».

In Dict. 13

[1] Pipponem Florentinum, ex domo Scholarium, qui, cum plurima bella fideliter feliciterque confecisset, adeo Sigismundus imperator apud Hungaros magnificavit, ut secundum illud regni caput omnes faterentur, plerique primum putarent, dixisse quoque Sigismundum aliquando ferunt: «Facile Pippo, si velit, scipione in manum meam dato, regni fines egredi me solum ac nudum videbit».

In Dict. 14

[1] Romam cum peteret Fridericus imperator ex praefectis, Flavianis habuit, certior factus est Ulricum Eitzinger, inter procures Austriae opibus et industria nulli secundum, trans Danubium profectum esse, ibi clandestina colloquia cum Moravis habere timendum esse ne res novaret, absente principe, re igitur fore Ulrico cum rediret vincula iniicere; [2] quibus imperator respondit clarum ac potentem hominem periculosum

esse in carcerem rapere, quando neque nocentem plectere, neque innocentem dimittere audeas; Ulricum proinde, quia consiliarius suus esset, iurisiurandi immemorem haud quaquam se credere, prius quam experiatur.

In Dict. 15

[1] Ladislaum Hungariae ac Bohemiae regem cum educaret Fridericus imperator, non defuerunt inique mentis homines, qui perdendum suaderent puerum, cuius vita ingentes molestias caesari, mors regna et opes maximas allatura esset. [2] Ad quos ille: «Ergo me – inquit – opulentum regem, quam pium, quam iustum cupitis. At ego nomen bonum cunctis divitiis antepono».

In Dict. 16

[1] Iohannes S. Angeli cardinalis, natione Hispanus, cum in Austriam sedis apostolicae legatus venisset cognovissetque Friderici caesaris qui redditus et qui sumptus essent, «Rumor erat – inquit – Fridericum ad rem nimis attentum. At meo iudicio perliberalis est, qui facultatibus expensas metitur». Caeterum Sigismundus et Albertus, qui ante eum imperaverunt Bohemiae que et Hungariae, ditissimis regnis praefuerunt, propemodum prodigi principes, largitatem huius offuscant.

In Dict. 17

[1] Cum diceret aliquando Sigismundus imperator assentatores se veluti pestem odisse: «Imo – inquit Brunorius Veronensis – nullum genus hominum magis amas. Nam, quid apud te possent Mathko Bonus, Laurentius Palatinus, Ursacius Michael, Gaspar Schlichius, nisi assentando tuam gratiam meruissent».

Tum Sigismundus «Vincis, Brunori» ait. «Sic natura compertum est: cum vitandos esse adulatores dicimus, tum maxime haeremus. Nec tu mecum tandiu fuisses, nisi meis moribus blandiri assuevisses».

In Dict. 18

[1] Animadvertit religiosus quidam, praedicator ex ordine Minorum, Albertum caesarem, Ladislai patrem, qui sermonem suum Viennae audiret, somno gravatum esse, atque altiori voce: «Quaero – inquit – ex vobis qui astatis, salvari ne principes possint». Cunque rem dubiam et admodum difficilem reddidisset, iamque rex excitatus attentissimus esset: «Appagete, appagete – ait. Nanque si baptizati principes, vel in cunabulis moriantur, non est desperata eorum salus».

In Dict. 19

[1] Gravida bellis Etruria laborat partu, divae Fermae cingulum ex rege petit. Neque enim alius est, qui salutem illi elargiri facilius possit.

In Dict. 20

[1] Fridericus dux Austriae, Alberti caesaris filius, commissurus proelium adversus Ludovicum Bavarium, qui cum de imperio contendebat, quamvis accepisset marchiones Brandenburgenses cum hostibus consentire, his tamen promissam antea pecuniam numeravit, alienam fidem accusare quam suam requiri praeoptans.

In Dict. 21

[1] Mariam Hungariae reginam cum accepisset uxorem Sigismundus, de quo saepe facta est mentio, grande regni incolarum concilium apud Budam convocatum est. In

eo regina perfidiam regulorum accusavit, qui se regno spoliare conati essent. [2] Tum Sigismundus, discusso et cognito una cum iudicibus regni crimine, duos et triginta regulos securi percussit, quae res ei multorum deinde laborum et discriminum causa fuit.

In Dict. 22

[1] Inter Iohannem Karoli quarti patrem et Henricum Carinthiae ducem de regno Bohemiae longa et difficilis contentio viguit, qua durante clanculum ad Iohannem venit, qui se veneno hostem occisurum promitteret, si praemium speraret. [2] Cui Iohannes: «Si me inscio Henricum interemisses atque ad me venisses, crux tibi praemium futurum erat, qui regio sanguine manus commaculasses, et tu me modo tanti criminis auctorem petis».

In Dict. 23

[1] Zischa homo Bohemus, humili loco natus, multa vi animi et corporis, sed ingenio pravo, cum labes Hussitarum Bohemiam infecisset, ducatum haereticorum accepit bellaque complura adversus fideles, qui superfuerant, feliciter gessit. Amiserat hic oculum unum in pueritia, dum inter aequales luderet, altero in obsidione cuiusdam castris privatus est, sed neque lumine cassus utroque imperio se abdicavit. Sequebantur caecum ingentes copiae, eoque duce, non Bohemi tantum, verum etiam Theutones magnis cladibus affecti sunt. [2] Is moriturus, cum rogaretur de suo corpore quid fieri mandaret: «Excoriate me – inquit – et, relictoque feris cadavere, ex cute tympanum facite, eoque in proeliis utamini: ut me hostes timere, sic eius sonitum ferre ne poterunt».

In Dict. 24

[1] Docet Hestor Faventinus quanta sit habenda fides cum Picinino, tum caeteris copiarum ducibus, quos alit Italia.

In Dict. 25

[1] Quamvis omnia libenter audio, quae vel fecisse vel dixisse Alfonsum tradis, nihil tamen in animum tam cupide accipio, quam responsum illud Ludovico Podio divinitus datum, regem, scilicet, pacem dare, non vendere solitum. Nam et nos huc pacem rogaturi, non empturi venimus.

In Dict. 26

[1] Multa Philippo Alfonsus debuit, at plura Christo debet. Pro Philippo bellum suscipere contra Venetos instituit. Cur pro Christo contra Turchos arma non capiat? Maiores Turchi quam Veneti, at maior multo Christus quam Mahumetus.

In Dict. 27

[1] Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senensis, utroque iure consultissimus, cur minus solito litteris operam daret: «Uxorem – inquit – duxi». [2] Rursus interpellatus, cur Socrates, postquam duxit uxorem, non itidem philosophiae studia neglexisset: «Xantippe – ait – morosa fuit et, ut existimo, deformis, mea vero proba est et forma non in postremis».

In Dict. 28

[1] Memmus Senensis, qui ecclesiae Grossetanae praefuit, antequam pontificatum accepisset in Petrum de Monte Alcino, non incelebratum astronomum, qui,

cum podagraretur, incidit, atque ab eo, dum alteram post alteram fabulam recitat, diu retentus, cum transeuntem notum quempiam vidisset: «Age – inquit –, ausculta hunc podagricum. Nam meae audiendo aures ambae obtusae sunt».

In Dict. 29

[1] In obsidione Pragensi, principes civitatis, qui Sigismundum odissent, populares, ut obscena et petulantissima in eum verba iactarent, astucia et arte provocabant: sic enim futurum arbitrabantur, ut irritatus hostis crucem et quaevis duriora supplicia comminaretur obsessis, illi vero poenam metuentes, obsidionis incommoda constantius tolerarent; quod cum intelligeret imperator impunitatem omnium quae in se dicerentur per praeconem promisit.

In Dict. 30

[1] Ad Rudolfum imperatorem venit quispiam, qui Ottokarum Bohemiae regem in venatione sese occisurum promitteret, si facto praemium esset. [2] Cui Rudolfus: «Etsi noster hostis est Ottokarus, eumque odimus, non tamen id efficiet, ut iustitiae ac moderationis fines transeamus».

In Dict. 31

[1] «Inter philosophos – inquit Hugo Senensis – multas invenio haereses, quas facile tollas, si de nominis finitione consentias».

In Dict. 32

[1] Albertus Austriae dux, antequam Romanum suscepisset imperium, in Iudaeos desaeviens, eos omnes

in sua ditione occidi iussit, qui nollent ad Christum verum et singularem Deum converti. [2] Multi metu baptismum susceperunt, ex quibus unum Fridericus, antequam imperaret, in cubiculum suum accepit eumque, cum esset sibi coetaneus, quasi fratrem dilexit. [3] Is, post aliquot annos, paenitentia ductus, ad Iudaicas fides sese reverti statuisse dicit; Fridericus contra suadet ne viam vitae deserat. Cunque verba sua nihil proficerent, theologos ex Viennensi schola accersit, qui iuvenem instruant; addit preces, addit lachrymas, promittit, minatur. Postremo, ubi frustra sese niti cognovit, fraternam quodammodo charitatem religiosae et verae pietati postposuit, invitus et admodum dolens iuvenem in iudicium requisitum tradidit. [4] Ille, ad supplicium ductus, nullis obstrictus vinculis – sic enim petierat – ut pyram ardentem vidit, Hebraicum carmen incipiens, in medias flammis intrepidus se coniecit, atque ibi cantans exustus est.

In Dict. 33

[1] Ex praeda villarum, quas diripuisset Zischa Bohemus, nihil ad se deferri iussit, nisi telas araneorum: sic enim pernas salitasque carnes e rusticano tecto pendentes appellabat.

In Dict. 34

[1] Foenus ita demum sine peccato exerceri posse divus Bernardinus Senensis affirmavit: «Si pecunia his crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent».

In Dict. 35

[1] Anno ab hinc sexto et quadragesimo, inter fratres beatae Mariae Theutonicorum et Vladislaum Poloniae

regem de regni finibus orta quaestione, utraque pars ingentes copias in bellum eduxit. At primi Pruteni, sive numero militum, sive animi ferocia exultantes, duos gladios per facialem regi misere ut ex his quem mallet unum acciperet. [2] Is cum Vitoldo fratre Deo suo hostias litabat, qui, audito faciale: «Non invitus – inquit – proelii signum recipio». Consecratoque gladio, quem elegerat, eo se accinxit, et facta pugnandi copia Lituanos, qui auxilio venerant, primos apponit, quorum strage fatigata, Prutenorum manus et ipsa Polonis supervenientibus sternitur cruentissimo proelio. [3] Eo die confecto, victoria regis fuit, viri equestris ordinis ex religione quadringenti cum ipso magno magistro periere, caesa ex plebe multa milia, qui superfuerunt capti. Prussia, praeter oppidum beatae Mariae, omnis ad Polonos defecit.

In Dict. 36

[1] Cum diceret Laurentius Palatinus Hungariae imprudenter agere Sigismundum imperatorem, qui victis hostibus non solum vitam et opes relinqueret, sed etiam inter amicos eos reciperet extolleretque, «Tibi – inquit Sigismundus – videtur utile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat. At ego inimicum occido dum parco, et amicum facio dum extollo».

In Dict. 37

[1] In bello quod contra Bohemos Albertus Austriae dux, priusquam Romanis imperaret, diutissime gessit, interrogatus quem copiis praeficere statuisset: «Si alium – inquit – quam me ductorem exercitus petitis, frustra me Austriae ducem appellatis».

In Dict. 38

[1] Ludovicus Bavariae dux apud Henricum eiusdem familiae principem in carcere cum observaretur, nunquam illi ad se venienti surrexit, neque capite annuit, neque quod ab eo peteretur suadereturve quicquam fecit. Eum vultum, eam austeritatem retinuit captus, qua, cum liber esset, usus est.

In Dict. 39

[1] Conspiraverant Hungari adversus Sigismundum armatque regiam intraverant, aut capturi regem, aut, si id non succederet, occisuri. **[2]** Quos ubi ad se irrumpentes cognovit, accepto pugione in medium progressus: «Ecquis – inquit – vestrum in me manus iniiciet? Aut quidnam feci, quod me regem vestrum occidere velitis? Prodeat e vobis siquis audet, et cum me solo solus congrediatur. Ea voce et audacia obstupere coniurati, et sibi quisque timens abiere».

In Dict. 40

[1] In bello, quod adversus Norinbergenses anno abhinc sexto Albertus marchio Brandenburgensis enixissime gessit, Gravenburgium ab eo multa vi oppugnatum est. Id oppidum in valle iacet, viginti quatuor milibus passuum a Norinberga, muro ac fossa munitum, in quo praeter oppidanos quingenti milites praesidio inerant. **[2]** Oppugnatio quatuor diversis locis coepta est. Albertus sibi eam oppidi partem elegit, qua murus altior et fossa profundior fuit. Insulto facto ab ea parte qua oppidum captum est, secundus ex omnibus ipse murum ascendit, in oppidum vero primus descendit. **[3]** Circumventus ab oppidanis tam diu pugnam sustinuit, quamvis in se unum multi concurrissent, donec alii pugnantes, decretis sibi murorum partibus superatis, suppetias tulerunt, oppidum

captum direptumque est, feminis nulla vis illata. Nam id apud Theutones pro inexpiabili scelere habetur.

In Dict. 41

[1] Iodocus marchio Moraviae cum patrum suum Venceslaum Bohemiae Romanorumque regem visitatum venisset, vocavit eum patruus in penitiorem aedium partem, atque in hunc modum allocutus est: «Etsi satis scio non esse dignitate mea, quod electores imperii me regno Romano abdicaverunt, solatio tamen est quod ex familia nostra hoc decus non excidit. Ego te libens volensque successorem mihi datum accipio». [2] Cunque Iodocus his verbis territus ad regis genua procubisset, ac sibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnino ignarus esset: «Pone metum – inquit –, nepos. Nam neque imperium invitus depono, neque, si retinere illud cupiam, iura sanguinis violare ausim. Bono itaque animo esto, imperiumque tibi demandatum suscipe, viris, armis, opibus regni mei tanquam tuis ut libet utere»; laetumque et donatum nepotem a se dimisit. At ille sex tantum menses postea supervixit, locumque Ruperto Bavariae, qui imperaret, fecit.

In Dict. 42

[1] Ecclesia catholica cum scissa esset – nam tres de Romano pontificatu contendebant: Petrus de Luna, Balthasar Cossa et Angelus Corarius –, concilium generale apud Constantiam Svevorum, ut nunc dicimus, urbem, Sigismundus imperator agi curavit, ac magnis itineribus Italiam, Galliam et Hispaniam petiit, ut nationes omnes ad unius pontificis consensum redigeret, eoque ammittente pax Ecclesiae reddita. [2] Martinus papa quintus electus, providus pater et amator pacis,

e tribus competitoribus duos sancta synodus tanquam scismaticos reiecit, tertius suoapte ingenio pontificatui renuntiavit.

In Dict. 43

[1] Unius militis saluti consulturus Alfonsus in rapidum amnem sese coniecit, suoque cum periculo avertit alienum. Cur igitur Senensis populi curam non suscipiat et amicissimae civitatis libertatem fortunasque tueatur?

In Dict. 44

[1] Captum ab Hungaris Sigismundum duo adolescentes cognomento Garii, quorum pater ab eo neci traditus fuisset, custodiendum accepere, donec communi conspiratorum iudicio in eum animadverteretur; quos cum ille, ut se dimitterent, frustra pertemptasset, vidua eorum matre ad se vocata: «Scio – inquit –, mulier, viri tui mortem tibi acerbissimam fuisse, teque mihi tanquam auctori eius infensam. Verum ego per superos iuro invitus tanti viri exitio assensus sum: regina eum atque alios accusavit. Consederunt regni proceres, atque in reos mortis sententiam tulere. [2] Ignarus ego factionum vestrarum novus ad regnum veneram: quod regulatorum maior pars decrevisset, id mihi exequi necessarium erat. Esto tamen virum tuum sciens volensque neci dederim trucidandum. Ne propterea natorum tuorum aut aliorum iracundiae me obiicies. Ecquis obsecro vel te vel illos fructus sequetur, non desunt mihi fratres et amici, qui meum sanguinem ulciscantur, neque Hungaria rege diutius carebit. Exempla reges timent, nemo apud eos acceptus est, qui manus suas regio sanguine cruentaverit. [3] Quod si me missum feceris, ex filiabus Hermanni comitis Ciliae, necessarii tui, uxorem

ducam, fratris ac soceri adiutus opibus regiam demum potestatem vendicabo, filios tuos in primis charos habebo, efficiamque ut omnis tua posteritas hoc factum sibi fructuosum sentiat. Hoc ego cum liberis tuis egi, sed non capit aetas quantum necesse est. Te, quae plus sapis et illis et tibi consulere oportet». [4] Persusasa mulier regem dimisit. Is, Barbara Ciliensi in matrimonium suscepta, brevi post tempore, debellatis rebellibus, victor regnum obtinuit, promissoque satisfaciens Garios iuvenes super omnes regulos extulit. Ex his ortus est Ladislaus Banus, inter primores Hungariae proceres opibus et auctoritate pollens.

In Dict. 45

[1] Austria nobilis provincia, dives agro virisque, ex duarum provinciarum detractone recepta est. Nam quod est a Leyta fluvio usque ad Anasum amnem Pannonici iuris fuit, ab Anaso amnem in Oenum Norici. Oenus, ingens flumen ex alpibus Italiae profluens, apud Patavium urbem Danubio miscetur. Leyta, parvus fluvius ex montibus Stiriae dimissus, inter Viennam et Posonium civitates in Danubium labitur. [2] Huic provinciae ad septentrionem Bohemi Moravique adiacent, ad meridiem Stiriae montes, orientem eius Hungari, occidentem Bavarii tenent. Danubius, quam longa est, mediam perlabitur. [3] Haec primo a marchionibus, deinde a ducibus regnata est. Stirps ducum in femina defecit, at illam Ottokarus Bohemiae rex uxorem duxit, non tam eius matrimonii, quam regni cupidus, quippe qui, ea vivente, aliam ex Polonia coniugem superduxit. [4] Verum, cum Rudolfus, imperator Austriam, deficientibus ex genere ducum virilis sexus heredibus, ad imperium devolutam

assereret, nec Bohemum alio pacto coercere posset, qui conventa quaeque fregisset, ad extremum ferro dirimere litem statuit. [5] Proelium trans Danubium commissum est: Ottokarum Bohemi, Misnenses, Poloni, Hungari adiuwabant; Rudolfus Svevis, Franconibus et Australibus et Stiriensibus societate iunctis rem gessit. Hostium copiae numero longe antecedeabant, Rudolphi miles virtute superior fuit. In ea pugna ingens strages commissa, Ottokarus occisus, quem Rudolfus honorifice sepeliri iussit. [6] Ac deinde ducatum Austriae filio suo Alberto, maiori natu, concessit, unde originem habent qui hodie Austriam possident: Fridericus, Ladislaus, Albertus, Sigismundus. [7] In hoc proelio, cum siti laboraret exercitus, ferunt agresti, qui messoribus potum ferrent, allatam hydriam sicera plenam atque imperatori oblatam; quam cum ille vidisset: «Reddite – inquit – homini vasculum suum: nam ego exercitui, non mihi sitiebam».

In Dict. 46

[1] Ludovicum seniore Bavariae ducem cum captivum haberet Albertus marchio Brandenburgensis, non pauca ab eo petiit, quem cum ille negasset, tradere eum in manus duri et inimicissimi sibi principis minabatur. [2] Tum Ludovicus: «Quae poteras ex me libero impetrare, eadem modo ex captivo petito. Si quid amplius vides, corpus meum in tua potestate, animum nihil tibi obnoxium invenies».

In Dict. 47-48

[1] In Calesio cum essem Angliam petiturus, id est oppidum in Morinis, ex quo brevissimum dicunt in insulam transitum, nuntiatum est, auctore Nicolao

cardinale Sanctae Crucis, viro sanctissimo, Philippum Burgundiae ducem, qui partium Anglicanarum antea fuisset, ad regem Franciae defecisse. [2] Quod cum praefectus loci accepisset, mox me, qui cardinalis essem secretarius, asservari iussit quae res magno me damno affecisset, nisi cardinalis Vintoniensis, cui notus essem, illico me dimitti iussisset.

In Dict. 49

[1] Fridericus senior dux Austriae, imperatoris Friderici patruus, saepe, mutata veste, solus inter agrestes obversatus est, cum quis, accepta pecunia, et arans, et alia quaevis munia ruris faciens, et de seipso et de purpuratis suis confabulari consuevit. [2] Interrogatus cur id ageret: «Neque enim de me – inquit – alio modo verum audire possum».

In Dict. 50

[1] Hoc unum est inter egregia regis facinora maximum et praeclarissimum, sed neminem deserit Deus in se sperantem. [2] Henricus rex Angliae, regis huius, qui nunc regnat, pater, circumventus ab exercitu Gallorum regis quaecumque obtinuisset in Gallia dimittere voluit, si cum suis incolumis abire permetteretur. [3] Negantibus Gallicis, nocte subsecuta, vocatis centurionibus et decanis militum: «Neque fugere – inquit –, commilitones, neque pacem ex hostibus consequi possumus, quamvis Galliae cedere regno voluerimus: sola nos arma tueri possunt. Non est cur numerosum exercitum formidetis: iustam causam iustus Deus adiuvaverit. Ite et alter alteri peccata vestra confitemini: pauxillum terrae ob memoriam sacramenti eucharistiae Salvatoris alter alteri porrigite. Crastina die

liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum». [4] Sic dimissa contione, peractis quem iusserat, curare milites corpora praecipit. Sequenti die, ut primum lux orta est, commisso proelio, incredibile dictu, octo milia suorum sexaginta milia hostium fudere, caesa ingens turba, nobilitas Galliae prope omnis capta, paucos fuga servavit. Eaque potissimum dies Gallorum opes fregit.

In Dict. 51

[1] Ferdinandum ferunt, cum esset in Etruria, diligenter observasse patris mandata, quem socii miro modo coluerunt. Hostes quoque, cum timerent, non potuerunt non amare. Sed quae mutatio haec dexteræ huius Excelsi! Veneti, quos sibi amicissimos carissimosque rex dixit, ex benivolentia excidere, Florentini, contra quos missus est exercitus, in amicitiam recepti. [2] Memini hoc loco eorum verborum, quae scribit ad Rufinum Hieronymus: «Amicitia – inquit ille – quae desinere potest, vera nunquam fuit». Deceptus Hieronymus est, qui Rufinum erga se semper eundem putavit fore; non mirum si Alfonsi quoque opinio falsa fuit.

1

In Dict. 52

[1] Tota philosophia – inquit Cicero – nihil aliud est quam quaedam commentatio mortis, neque aberrat in ea quidem scientia. Cur enim praecepta bene vivendi discimus, nisi ut bene mori sciamus? Comoedia quaedam est vita nostra, cuius ultimus actus de morte agit. [2] Bonus poeta nemo habetur, nisi ad finem usque actus omnes prudenter explicet. Nobiscum melius Deus

III 51, 2. Amicitia - fuit: Hier. *Ep. ad Rufin.* III 6

egit. Nanque, licet omnis vita superior turpis extiterit, satis tamen fuerit ad emerendum coelum vitamque beatam consequendam, si laeto ac forti animo mortem obeamus, et ante ultimum spiritum Deo reconciliemur. [3] Neque contra nos est divus Augustinum, dum ait impossibile est quenquam male vivere et bene mori, et rursus bene viventis malam mortem esse: seiungit enim ille vitam et mortem. Et verum est, quia mortui nihil mereri possumus. [4] Nos vero eum bene mori dicimus, qui in ipso vitae exitu veram peccatorum dolentiam contritionemque suscipit, quod quam sit fallax non me latet. Constat tamen et viros, qui diu sanctissime vixerint, male obiisse in fine ipso de Dei bonitate desperantes, et qui sceleratissimi fuerint, bene laudateque mortuos, cum Dei optimi maximi in supremo anhelitu misericordiam impetrassent. [5] Sed quae obsecro commentatio mortis adeo verax, adeo efficax apud philosophos repperitur, quae consolationi illi aequari possit, quam refert Alfonsum tuum ad Gabrielem Surrentinum habuisse; legimusque venenum bibiturus, apud Plutarchum, *De bono mortis*, Socrates philosophatur; sed nihil ad Alfonsum: philosophus igitur, quamvis Hisseritanus inficietur, Alfonsus.

2

3

4

III 52, 1. Cicero - mortis: Cic. *Tusc.* I 31, 74

III 52, 3. Augustinus - mori: August. *Discipl. Christ.* XII 13

III 52, 5. Plutarchum - philosophatur: cfr. Plut. *Exil.* 607f; sed fortasse rectius Plat. *Phaedo* (*De bono mortis*) 115a-118a